Elenchus lectionum Academicarum, qvas per Dei gratiam, professores in Regia...

82 Aa 16/3

KUNGL. BIBLIOTEKET
National Library of Sweden

ELENCHUS
LECTIONUM ACADEMICARUM,

Qvas per DEI gratiam,

Profeſſores in Regia Academia Aboenſi, a præteritis diebus Caniculaes, laribus, anni labentis MDCXCII. ad eorundem ferè initium anni ſeqventis, durante interea

RECTORATU
MATTHIÆ SWEDERI,

Juris Prof. ordinarii, publicè privatimqve profitebuntur.

Theologorum.

I.

JACOB. FLACHSENIUS, SS. Theol. Doct. & Prof. Prim. hoc anno, publicè prælegendo, explicationem Exodi continuabit, & Deo auxiliante, abſolvet. Docebit autem hora VIII in auditorio maximo.

II.

PETRUS LAURBECCHIUS, SS. Theol. Doct. & Prof. Ord. Evangelium Johannis Evangeliſtæ, qvod in hiſtoriâ Salvatoris noſtri Jesu Christi harmonicè primum eſt, collatâ reliqvorum Evangeliſtarum, ſecundum Ordinem Biblicum, relatione, ſecundante Deo, hoc anno proponet, qvantum & ſeries rerum, & ordo temporis & vires ac occupationes legitimæ permiſerint; Idqve horâ 9. antemeridianâ in Auditorio Superiori & Maximo.

III.

JOHANNES FLACHSENIUS, S.S. Theol. Prof. Ord. præmiſſo Tractatu de *Theologia* in *genere*, *Locos Communes* h. 3. pom. in Audit. maximo per divinam gratiam auſpicabitur, & qvoaduſqve licuerit, publice legendo & privatim diſputando, continuabit.

Ictus.

MATTHIAS SWEDERUS, quantum muneris nuper injuncti ratio permittit, Inſtitutiones Juſtinianeas, conferendas cum Jure Patrio, in Auditorio maximo, hora ſecunda pomerid. publicè interpretabitur, & privatim explicationem legum noſtrarum provincialium, præterito intervallo inchoatam, DEO volente, continuabit.

Medicus.

ELIAS TIL-LANDZ/ Med. Doct. & Prof. Ord. Siqvidèm omnes Medicinæ Partes eò unicè colliment, ut Sanitas in ſubjecto conſervetur; Ideoqve Superiori anno, ordinis ſic ſvadente ratione, *Medicinæ Therapeuticæ* explicationem adgreſſus eſt, in qvâ non tàm publicè prælegendo, qvàm privatim apud ægrotantes, Medicinæ Studioſos informando verſatus. Anno futuro eidem qvoq; methodo inſiſtere, Favente Archiatro ſummo, conabitur. Idqve hor. 1. p. m. in Audit. Superiori.

Philosophorum *I.*

M. SIMON TARPO/ Metaph. & Log. Prof: Ord: futuris, Prævio Chriſto, Prælectionum intervallis, perrecturus eſt in Logicæ lectione publicâ qvousq; licuerit, faciendo initium â doctrina Syllogiſmi Compoſiti. Ad votum D. D. Studioſorum in partibus qvibuscunqve ſuæ Profeſſionis, ſedulam operam privatim commodabit.

II.

M. ANDREAS WANOCHIUS, Phil. Pract. & Hiſt. Prof. Ord. nec non S. S. Theologiæ Extraord. conſtituit, ineuntibus jam Lectionum Academicarum intervallis, favente Altiſſimo, publice proponere *Ethica* & *Politica*, ſecundum methodum uſu receptam, ſcil. eundo per *theſin*, *antitheſin*, *exempla hiſtorica*, & *regulas morum*: idqve hora IX. in Auditorio inferiori. Qvæ autem in ſtudio *Theologico* aggredietur [illegible] loco & tempore, deinceps op[illegible] [illegible]dicabit.

III.

M. PETRUS HAHN, Profeſſor [illegible]es ordinarius, hoc anno, DEO duce, Scientiam naturalem Auditoribus Suis publice & privatim methodo recepta proponet, idqve in Auditorio Maximo, hora decima.

IV.

M. DAVID LUND/ LL. Sacr. Prof. Ord. commiſſi muneris partes ita, propitio ſupremo Numine obire publicè conſtituit, ut *priori* hebdomadis *biduo*, lingvæ Hebrææ fundamenta & rationes, ex Geneſi, operâ Critico-Analyticâ qveat tradere; *poſteriori* verò, literas Græcas eodem modo, ex Apoſtolicis Actis proponat. Eadem hæc ſtudia, in diverſis partibus, qvasq; ſolet aliàs occupationes, in domeſticis etiam ſcholis, ſecundum tenorem ſtatutorum, ſedulò & perſpicuè qvantum poteſt, pertractabit.

V.

M. MAGNUS STEEN/ Mathem. Prof. Ord. perductis ad finem, qvæ anno ſuperiori in Trigonometria ob valetudinis incommoda non licuit abſolvere, Aſtronomiam docebit publicè; privatim autem Computum Eccleſiaſticum & uſum Globorum cum bono Deo, proponet.

VI.

M. TORSTANUS RUDEEN, Poëſios Profeſſor Ordin. nuper deſignatus, poſt introductionem ſuam, quid propoſiturus erit, indicabit.

VII.

Eloqventiæ Profeſſor futurus, ſuæ Profeſſioni conformia, & ſtudioſæ juventuti proficua, ſimul atqve conſtitutus & introductus fuerit, ſignificare & proponere non intermittet.

ABOÆ, Impr. apud Joh. Wallium, A.T.

1774